

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de .

Das PDF wurde erstellt am: 15.10.2025, 21:21 Uhr.

Andreas Daniel Habichhorst

Andr. Daniel Habichhorst, S. Th. D. ejusdemq[ue] PP. & Seren. Duc. Mekelb. Consiliarius Consistorialis, Collegiiq[ue] Ducalis & FCtis Theologicæ nec non totius Academiæ Senior hodieque Decanus Dissertationem Inauguralem ... M. Christoph. Conradi Goerizii, Regiomont. Borussi, S. Th. Cand. ... & ad Prof. Theol. extraord. in Patria abs Regimine Regiomontano rite nominati ... Ad Locum Jesai, XLVIII. 16. qvo Jesaias SS. Trinit. Praeco demonstratur ... ad d. ... Sept. MDCCI ... Rectorem ... Omnesque ... Cives Academicos, uti & alios ... invitat

Rostochii: Typis Joh. Wepplingii, 1701

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1932953221>

Druck Freier  Zugang



Progr.
des **ANDR. DANIEL**
HABICHHORST,

S. Th. D. ejusdemq; PP. & Seren. Duc. Me-
kelb. Confiliarius Consistorialis, Collegiij Ducalis & FCtis
Theologicae nec non totius Academiae Senior hodieq;

DECANUS

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

sur *VIRI* Reverendi, Clarissimi, & Praeclentissimi,

DN. M. CHRISTOPH. CONRADI
GOERIZII,

Regiomont. Boruffi, S. Th. Candid. dignissimi & ad Prof. Theol.
extraord. in Patria abs Regimine RegioRegiomontano ritè nominati,

TRINUNO *volente* **DEO**

Ex decreto & praescripto dictae FCtis venerandae,

Ad Locum **JESAI. XLVIII. 16.**

qvo

JESAIAS SS. TRINIT. PRÆCO

demonstratur,

pro consequendis in Theol. privilegiis DOCTORALIBUS,

add. Sept. A. MDCCI. horis ante & pomerid. habendam,

*Suo suaeque Facultatis nomine solemniter indicit, ad eamq; publicâ cele-
britate & frequentia decorandam.*

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,

Cæterosque Universitatis & Urbis Primores, Omnesq; O. O. Cives Acade-

micos, uti & alios S. literarum Fautores, suis quosq; dignationi-

bus, meritis & virtutibus præfulgentes,

Suñmo, qvo fas est, studio & humanit. invitat.

Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ, Typogr.

R. U. - Progr 1701



Ogma de sanctissimo Trinitatis my-
sterio uti primum est, quo veluti fun-
damento structura Religionis Christia-
nae innititur: ita in præcipuis *S. literarum*
tam V. quàm N. T. *oraculis* luculenter
illud monstratur, simulq; beatorum pri-
mitivæ Ecclesiæ *Patrum testimonis Mar-*
tyrumq; sanguinibus præcipuè obfignatū
reperitur. Sanè enim ad *Scripturarum*
oracula quod attinet, si vel solum evolvimus *Jesaiam*, quem
Syracides magnum appellat Prophetam c. 48. 25. & Hierony-
mus aliiq; Evangelistam V. T. nuncupant. manifesta satis
mysterii hujus argumenta observamus. Dum enim prin-
cipio caput ejus sextum inspicientes, *Trisagium Seraphicum*
ejusq; *objectum* solidè & enixè consideramus, quod scilicet
illud sit ארני sive DOMINUS v. 1. & *Jehovah Zebaoih*
v. 5. qui in throno sedens non tantum *Jesaiæ* videtur, sed ex
throno quoque suo tam in numero plurali quàm singulari
loquens (*quem mittam? quis ibi nobis?*) auditur v. 8. cui etiam
Seraphim acclamant. certè illum ארני sive Dominum, non u-
nam solam esse hypostasin, sed revera plures & quidem juxta
alia ejusdem *Jesaiæ* aliarumq; scripturarum loca, in personis
trinum, quem propterea Seraphim notanter trina hîc ea-
demq; in fonte distinctâ acclamatione appellant *Sanctum,*
Sanctum, Sanctum Jehovah Zebaoih, piè & humiliter agno-
scimus; non curantes *Jhudæorum* & *Socinianorum* alio-
rumq; blasphemorum catholicæ hujus fidei hostium exce-
ptiones & officias, tam contra *Objectum Trisagii*, quàm con-
tra ipsummet *Trisagium* eo fine excogitatas, ut luculentum
hoc SS. Trinitatis argumentum enervent. Quis enim
Rabbinis quibusdam assentiretur, ad hunc locum somniant-
ibus, *Jesaiam* hîc modò *Angelum representatorem* Domini
vidisse? Talem enim excludit non tantum vox ארני cum
puncto

puncto Kametz v. i. quæ, uti vox יהוה; proprium summi
 Dei nomen in Scripturis est, & seq. v. 5. per voces יהוה צבאות
 declaratur: sed & contradistinctio Seraphinorum tanquam
 ministrantium, & non Angelo cuidam, sed ipsi Domino, qui
 gloriam planè divinam Angelis & Prophetae videndam ex-
 hibuit, magnâ submissione acclamantium: *Sanctus, San-
 ctus, Sanctus* &c. Qvis deinde crederet *Grotio*, chordâ sæpe
 Jhudaicâ & Socinianâ oberranti, qui visionem hanc depra-
 vans, non nisi *fulgorem eximium* vidisse Prophetam censet,
 perinde ut Sociniani ad Joh. 12. 41. non *Christum* sed *gloriam
 tantum Christi*, & quidem *Christi nondum existentis* vidisse,
 ogganniunt? Disertè enim Propheta v. i. ipsum sese Do-
 minum vidisse ait, & seq. v. 5. *vidi*, inquit, *Regem Domi-
 num exercituum oculis meis*. Nec obstat, quod Chaldæus
 h. l. reddat: *vidi gloriam Jehova*, & interpret Chaldaismi
 Johannes l. c. dicat, *Jesaiam vidisse gloriam Christi*. Si qui-
 dem Chaldæus & Johannes non loquuntur exclusivè, quasi
 Propheta tantum gloriam vel fulgorem DEI viderit, sed
 inclusivè, ut ipsa hypostasis Domini intelligatur; vel ut
gloria Domini sit ipse *Dominus gloriosus*, sive Jehovah in
 tali gloriolo præsentis singularis Symbolo, Quinimo fi-
 cut *gloria Domini*, quam Propheta juxta Chaldæum vidit,
 DEI apparentis & præsentis hypostasin non excludit: ita
 & *gloria Christi*, quam Jesaias juxta Johannem vidit, hypo-
 stasin ejus includit, quippe qui passim in Scripturis verus
 æternusque DEUS, & creator rerum omnium appellatur,
 adeoque jam ab æterno, multò magis eo quo Jesaias vixit
 seculo, extitit. Vidit ergo Christi gloriam, quam habuit ab æ-
 terno Joh. 17. 5. Et quis denique aliis adstipularetur statu-
 entibus, non nisi Christum hic à Propheta visum, in quo
 cæteroque Deus communiter se Patribus manifestavit?
 Quamvis enim hic locus, uti jam dictum, à Johanne c. 12.

de Christo exponatur & speciali ratione Filius DEI olim in-
carnandus & in throno Majestatis divinæ quoad humanita-
tem constituendus repræsentetur; non tamen hoc ipso Pa-
ter & Spiritus S. excluduntur: siquidem & visio hæc de Spi-
ritu S. exponitur Act. 28. 25. cum ibidem vox Domini hîc à
Propheta visi etiam Spiritui S. tribuatur. Duas ergo per-
sonas hîc habemus nempe *Filium DEI* juxta Johannem, &
Spiritum S. juxta Lucam. His verò ita se habentibus, quis
Patrem excluderet? Ut proinde Jesaias DOMINUM hîc &
Jehovam exercituum videns, eundemque loquentem cum
in singulari: *quem mittam?* tum in plurali: *quis ibit* לְבִי
nobis? audiens, trinunum omnino DEUM vidisse & audivisse
intelligatur, cui adeo Seraphini trina appellatione Sancti
notanter acclamarunt. Si verò una tantum persona hîc ap-
paruisse diceretur, sanè argumentum pro S. S. Trinitate,
à veteribus constanter ex loco hoc desumptum infirmaretur.

Neq; est quod Sociniani cum Jhudæis contra illud לְבִי i. e.
nobis excipiant, ita arguendo: illud quod præcedit (*quem
mittam?*) est singulare: Ergo & hoc quod sequitur (*quis
ibit nobis?*) sensu tale est. Qvalis enim hæc consequentia, &
ubi exemplum in scripturis, quo talis propositio pluralis,
qvalis hæc, *quis ibit nobis?* supponat singulariter? Certè
sicut Orator Gen. i. 26. in plurali dicens: *faciamus hominem,*
& Gen. 3. 22. *Ecce Adam sicut unus ex nobis,* non est intelli-
gendus singulariter sed verè pluraliter: ita & hîc apud Je-
saiam DOMINUS in plurali numero inqviens: *quis ibit
nobis?* DEUS in personis trinus notatur, qui in præcedi-
verbis in singulari loquens: *quem mittam?* ceu unus in es-
sentia designatur. Non possum hîc, quin eximium Jhosuæ
locum majoris declarationis ergo addam ex cap. 24. 19. ubi
hic ipse DOMINUS, quem Jesais vidit & Seraphini appella-
runt *Sanctum, Sanctum, Sanctum,* disertè in plurali vocatur
אלהים

אלהים קדוש i.e. *Elohim sancti* sive *persona divina sancta*,
 cum dicitur: הוה אלהים קדוש הוה i. e. *feborab*
Elohim sancti ipse est. Hos verò *Sanctos Elohim*, sive perso-
 nas divinas unius ejusdemque essentia, Seraphini apud
 Jesaiam ternario numero restringunt; *Sanctus, Sanctus, Sanctus*;
 ut adeo locus Jhoshuæ cum Jesaiano pulcherrimè con-
 veniat. Scimus quidem, quomodo contra Patrū & commu-
 ne Orientalis atq; Occidentalis Ecclesiae suffragium, adver-
 sarii ternariū hoc קדוש aliorum, rapiant & de idiotismo S. lin-
 gva voces repetente, summumq; sanctitatis gradū vel assidui-
 tatem canendi vel certamina angelorum in certas turmas di-
 stinctorum denotante, interpretentur; at verò nullus S. lin-
 gva idiotismus voces repetens, & argumento Trinitatis hu-
 jus ab Adversariis objectus, ad h.l. est applicabilis sive loco
 huic parallelus, quod alibi in Disp. nostra octava partis pri-
 mae illustriorum Jesaia locorum fuit ostensum. Unde & non
 immeritò antiqua Jhudæorum Synagoga in hoc ternario
 mysterium Trinitatis agnovit. Si quidem *Galatinus* 1, 2, de
 Arc. Cathol. Verit. c. 1. recenset, quod *R. Simeon ben Jobai*
 in Comment. ad h.l. ita trisagium explicaverit: קדוש זה אב:
 קדוש זה בן קדוש זה רוח קדוש id est Sanctus hic
 Pater, Sanctus hic filius, Sanctus hic Spiritus San-
 ctus: & in Chaldaica *Jonathanis ben Uzziel* translatione talis
 loci hujus paraphrasis inventa sit, quam ipse in quodam
 exemplari legerit: קדוש אבא קדוש בר קדוש רוח i.e.
 Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus.

In illo autem Trisagio non subsistimus, quando mysterii
 S. Trin. argumenta ex Jesaia colligimus, sed alia adhuc loca
 ex eodem producimus, quæ Dominum, quem Jesaias in
 throno sedentem vidit & loquentem audivit, trinum in per-
 sonis testantur, dum trium planè mentionem habent, nomi-
 ne, attributis & operibus distinctorum, quibus divina etiam

nomina, attributa & opera tribuntur. Annon enim Jefa LXI. i. mentio fit *unelli loquentis*, qui Jehovah filius Messias est, & Jehovah ungentis Messiam, qui Pater, & Spiritus Sancti Messiam inhabitantis, qui ipsum est ungentum? Annon seqv. cap. LXIII. 9. & seqq. primò distincta Patris mentio habetur tam in nomine Jehovahæ, cum dicitur v. 7. *Miserationum Jehovahæ recordabor* &c. quàm in pronomine (1^o) *ejus*, cum dicitur v. 9. *Angelum faciei ejus* i. e. DEI patris? & deinde dicto jam versu 9. *Angelum faciei ejus* memorat, quem dicit *salvatorem & redemptorem & portatorem* Israelitarum, qui est *Filius*, conf. Exod. 13. 21. c. 14. 19. c. 23. 10. Filius enim DEI est absolutissima Dei Patris imago, qui paternam faciem i. e. ipsam Patris essentiam in sua subsistentia possidet: Tandemque v. 10. *Spiritus S.* additur, quem rebelles Israelitæ ad iracundiam provocarunt. Annon & cap. XLVIII. 16. Jehovah Messias, qui primus & novissimus, cujus quoque manus fundavit terram &c. v. 11. sqq. de se dicit: & *nunc Dominus Deus misit me & Spiritus ejus*. Ubi *missus* est Jehovah filius Dei, ceu antecedd. probant; Dominus *mittens* extra controversiam est Jehovah Pater: additur & *Spiritus Domini* cum Patre mittens Christum; hunc verò non nisi persona divina mittere potest: ceu pluribus in Disp. inaugurali, quam infra commendabimus, demonstratur. His ergò Prophetæ aliisque V; & N. T. locis, nunc non allegandis, innixus fidelium cœtus, constanter tremendum S. Trinitatis mysterium confitetur; nec tamen *testimonia Ecclesie ævo Apostolorum proxima* contemnit, ut ejus consensu adjutus, fidem soli verbo DEI innixam, internis pariter oraculis ac testimoniis externis feliciter asserat. Inter hæc verò testimonia hac vice venerabilium maximè *Martyrum confessiones* laudamus, qui tanè in primitiva Ecclesia, cum gentilium persecutiones sævirent: S. Trinitatis fidem, exquisitissima passi supplicia, morte cruenta obfignarunt. Ho-

rum

rum verò Martyrum *quidam*, ut *Justinus Martyr* & *Albenagoras* Philosophus, in aulis Imperatorum & palatiis gentiliū, confessiones & apologias pro fide S. Trinitatis ediderunt & supplicationes pro invisa Christianorum gente exhibuerunt. *Multis* verò in abditis terræ speluncis adversam sortem emollire hymnis & canticis quæ siverunt, quibus Patrem, Filium & Spiritum S. celebrarunt & ex quibus canticum illud, *Te Deum laudamus*, & similia successu temporis confecta putantur. *Plures* deniq; cum ad supplicia raperentur, nec locus suppeteret amplius, qui commodum illis tutumque præstaret refugium, constanter dogma SS. Trinitatis profuso sanguine confirmarunt & in confessione hac mortem oppetere pulchrum pariter ac jucundum arbitrati fuerunt, quos inter *Ignatium*, qui Antiochiâ Romam tractus, in persecutione tertia sub initium seculi secundi bestiis est objectus, & *Polycarum*, qui in persecutione quarta Smyrnæ crematus est, imprimis prædicamus, ex quorum constanti confessione de reliquorum fide iudicium fieri faciliè potest.

Vetustissima hæc sunt & disertissima Scripturarum S. oracula sanctorumque Martyrum testimonia, ante Synodum Nicænam audita & consignata. Unde frustra sunt exceptiones hostium fidei hujus, ad ejusmodi Martyrum & antiquitatis testimonia respondentium: *tria nomina habes, non Trinitatem; Trinitas* & *persona Nicænorum Patrum sunt figmentum*. Equidem certum est, Ecclesiam significantes de rebus divinis terminos invenisse; non autem temerè, sed cum fundamento in scripturis exposito; nec sua sponte, sed fraudibus Hæreticorum coacta. Quidē quod nomina hæc tria, tria quoq; supposita, & actiones his nominibus tributæ, non proprietatibus vel attributis, sed substantiis ratione sanâ docente, veniunt adscribendæ.

Vani quoque sunt alii catholicæ hujus fidei hostes, qui originem hujus mysterii & hymnorum S. Trinitati in coetu
Eccle-

Ecclesiastico decantatorum somnio *Ignatii Martyris* paulò
antè laudati tribuere non verentur. Cum enim illi seculo
jam III. per duo Concilia Antiochena in Paulo Sarnofateno,
& seculo IV. in Ario & Photino essent damnati longaq; mil-
le annorum nocte sepulti, superiori proh! seculo XVI. Signi-
fero *Serveto*, Genevæ A. 1555. exusto, intermortuam tot secu-
lis hæresin ex orco reduxerunt, majoriq; conatu seculo nuper
elapso XVII. propugnare illam, sollicitato ad apostasiam per
libellos volantes toto orbe Christiano, laborarunt, ex quibus
in Colloquio Albæ Juliæ *Franciscus Davidis* p. 6 obvertit, quod
Ignatius illam Trinitatem in somnis viderit & adinvenit, po-
steroque die illi Trinitati in Ecclesia hymnum decantari jus-
ferit, & hujus rei gratia ad historiæ Ecclesiasticæ testimoni-
um ibidem provocat. Licet autem Franciscus ille Davidis
sine dubio ad Socratem respiciat, qui libro 6. Hist. Ecclel.
c. 8. talem de Ignatio historiam recenset: *Ignatius Antiochie,*
quæ est in Syria, tertius à Petro Apostolo Episcopus, qui cum Aposto-
lis ipsis multum versatus est, visionem vidit Angelorum S. Trinita-
tem hymnis alterna vice decantatis collaudantium, & formam ca-
nendi in ea visione expressam Ecclesia Antiochena tradidit, unde illa
traditio in omnibus Ecclesiis recepta est. Licet etiam per hujus
Francisci Davidis vestigia ductus Pseudo-Jesias novi fœderis, à
Zwikkero Servetiano superiori seculo publicatus, eadem So-
cratis relatione, de visione Ignatii, abutatur, & p. 25. impuden-
ter asserat, quod Ignatius non tantum Trinitatem per hymnos re-
sponsorios laudandi morem, sed & Confessionem ipsius Trinitatis,
utpote quæ tum primum producta & de qua ad id usq; temporis nun-
quam quicquam lectum auditumve fuerit, Ecclesia Antiochena &
per hanc omnibus aliis Orientalibus Ecclesiis tradiderit, smò in sua
ad Romam urbem abductione novam suam sententiam, de qua-
dam Trinitate, diversis Ecclesiis ipsiq; Romana, ad quam tandem
ut Martyr quoque accessit, per Epistolas multum commendaverit,

cum ipse ut Martyr apud omnes Christianos ex gentibus in magnâ
autoritate esset, & hoc eandem modo, ut Trinitatis confessio, quam
nullam nullumq; filium Dei ex cælo Ecclesia Romana sub Clemente
crediderat, in omnibus Orientalibus & Occidentalibus Ecclesiis pri-
mas obtineret, facillè impetraverit. Licet inquam hæc à Francisco
Davidis & Pseudo-Josia prævio Socratis testimonio asseran-
tur, nihil tamen illorum asserta sunt nisi prodigiosus profun-
ditatis Saranæ abortus! Ponatur enim Socraticam hanc de vi-
sione Ignatii relationem satis sibi constare, quid mirum ef-
set, si tantus Ecclesiæ Angelus, jamjam per martyrii coro-
nam choris Angelicis annumerandus, & præcipuè in illis
*Novi Testam. primordiis (in quibus *ναί* ἐξοχῶν Joelis illud*
*obtinebat; *Seniores vestri somnia somniant* &c. c. 2. v. 28.)*
Musici quasi Seraphinis immixtus, talia vidisset & decanta-
tos SS. Trinitati hymnos audivisset? certè non novum quid,
nec aliud quid vidisset audivissetque Ignatius, quàm quod
Propheta noster Jesaias tot antè seculis vidit & audivit; quod-
que pluribus supra ad Trisagium Seraphico-Jesaiantum ex ca-
pite ejus 6. relatum est: nec prima mysterii hujus inventio
vel revelatio à Socrate tribuitur Ignatio, quasi ante hunc nul-
la S. Trinitatis fides, qualem Ecclesia Catholica profitetur,
personuerit; sed sola Angelorum S. Trinitatem celebran-
tium visio. Quod verò S. Trinit. mysterium jam antè, in
Jesaiæ aliisque V. & N. T. locis, fuerit revelatum & ab ipsis
ante Ignatium seculi I. Christianis, ab illoque Romanorum
Episcopo Clemente, in primis verò à S. Johanne, qui Ebion-
itas & Cerinthianos fulmine potentiori percussit creditum
& celebratum, partim supra jam ostendimus, partim aliun-
de satis superq; constat, ut ulteriori hîc reiteratione non indi-
*geat, partim denique in *Disputatione sua inaugurali*, cujus causâ*
hæc præfati sumus, pluribus docet, solidèque ad locum Je-
saiæ c. XLVIII. 16. supra laudatum, à nobisque ipsi in un-

B

ctum

Etum offendit VIR Rev. & Cl. Dn. M. CHRISTOPH-
RUS CONRADUS GOERIZIUS, S. Th. Candidatus,
de cuius ortu, studiis & vita, ex more Academiis recepto,
commemorare quædam Programmate hoc tenemur.

*Patriam. Is habet Regiomontū Borussia, urbē sede aulicā
& Academiā verē nunc Regiomontana illustrem: Siquidem Seren-
issimus Dux Prussia, qui hodie DN. FRIDERICUS, Elector
Brandenburgicus est, hoc anno ibidem primus Rex Prussia est de-
claratus & coronatus. Ex familia quoq; satis clara & honorata
ortum traxit suum: Siquidem Goërizii nomen jam apud D.
Lucam Osiandrum Epit. bist. Eccl. centur. 36. l. 4. c. 49. p. in-
celebratur. Avum quoq; habuit Virum Amplissimum DN. Con-
radum Goërizium, Judicii apud Regiomontanos aulicū Crimi-
nalis Assessorem meritissimum, Aviamq; Annam Meifneriam,
Patrem verò salutavit Virum pl. Rev. & praclarissimum. DN.
Conradum Goërizium, Archidiaconi officio in templo Cathe-
drali ibidem per aliquot annos cum multa meritorū laude fun-
ctum, & scriptis quibusdā Anti-Syncretisticis inclitū. Siquidem
Is non tantum A. 1685. Syncretistam Transsubstantiatorem
Pontificium, ex dissertatione D. Samuelis Wernerī, Pro-
fessoris ibidem Theol. quarti, quæ reliquias post Eucharistiæ
actum remanentes celebrat, prolèxè satis solidèq; demonstra-
tum & à R. F. C. Theol. Lipsiensē approbatum edidit: Sed & seq.
A. 1687. Syncretistam calumniatorem publicavit, in quo tra-
ctatu non tantum præfatio concionis funebri Wernerianæ, à
D. Christiano Drejero, tunc temporis primario ibidem Theol.
Professore, præmissa refutatur, & opprobria in Goërizium,
Syncretistæ Transsubstantiatoris Pontificii autorem effu-
sa retunduntur, sed & ipsius Drejerei & Wernerī heterodoxia
& conatus Papizantes ex professo monstrantur. Matrem de-
nique hodiernum per Dei gratiam salutat, Matronam pietate &
virtutibus sui sexus Ornatissimam, Annam Reginam, B. Chri-
sto-*

Christophori Schröderi, ibidem quondam Diaconi ad adem
 primariam Parochialem dignissimi & virtuosissima Reginae à
 Wegnerin filiam. Ab his Parentibus adeo piis & claris d.
 12. Nov. styl. nov. An. 1677. (qui propter incendium Rostochi-
 ense nobis hic perquam funestus fuit) in lucem editus pioq;
 voto à prima statim infantia studiis liberalibus, præcipue Theo-
 logicis, est consecratus. Cumq; hoc sine ipsum Parentes non modò
 privata informationi pl. Rev. Dn. Joh. Jacobi Gräberi, nunc
 Ecclesie Polonicae apud Regiomontanos Diaconi, & Dn. Rechen-
 bergii, jam Ecclesie Silberbachiensis Prussiae Pastoris, sed & in-
 spectioni præcellentis & Clarissimi Dn. M. Johannis Deut-
 schii, Schole Cathedr. Regiomontanae Rectoris emeriti tradi-
 dissent, sub iisdem in humanioribus egregie crevit. Et licet præ-
 maturo lucuosq; laudati Parentis obitu A. 1690. sic satie affli-
 getur, provida tamen pie Matris & Curatoris sui, pl. Rev. Dn.
 M. Coelestini Georgii Neufeldii, Ecclesie Haberberg. apud
 Regiomontanos Pastoris laudatissimi cura, uti & publica simul
 ac privata Praceptorum informatio nihil earum intermisit re-
 rum, quæ dignum facerent ipsum, qui dehinc studiis quoq; Aca-
 demicis applicaretur. Ad eundem simul effectum concurrebant
 secunda prælaudata Matris vota, quibus deinceps in thalamum
 Dn. M. Balthazaris Boyen/Poësis ibid. Prof. jam beati trane-
 ibat: Siquidem & hujus curam & eruditionem, præsertim in
 Hebraicis, sibi non parum profuisse agnoscit. Anno igitur G.
 1694. m. Sept. ætatis 17. cum in capitibus orthodoxæ religionis
 sub Rectore suo supra laudato eos fecisset progressus, ut Syncre-
 tistarum fraudes (quibus nonnulli tunc temporis Regiomonti
 sunt decepti) intelligeret, adeoq; occasionem apostasia ad Papa-
 tum effugeret, egregioq; simul prædicti Dn. Rectoris sui testi-
 monio instructus esset, in numerum Academiae Patrie Studio-
 forum à Rectore tunc temporis, Viro Excellentiss. Dn. M. Geor-
 gio Thegen/ Phil. Pract. prof. meritissimo, à nobis hic Ro-

Roehl A. 1674. (si recte memini) ex merito tiam Magisteriali ornato, receptus est. Quamprimum verò receptus Is esset, animus ad studia mox Philosophica singulari fervore applicuit, ita tamen ut providente DEO non Auditoribus Clarissimi tunc Philosophi, M. Christiani Helwichii, jam Med. Doctoris, (quò pessimis beu! principiis, uti relatum nobis est, Studiosam juventutem ad Papismum seducere tentavit, id quòd eventus etiam probavit: Siquidem & ipse Helwichius debinc ad Papatum defecit bodieq; deflectionem suam propugnat) Sed Viri potius orthodoxi M. Danielis Hoynovii, jam defuncti, sese adfoviavit, quipq; quo duce ac praside non tantum insignem Philosophia Scholastica prægustum accepit, sed & privatim sepius disputando publice, opponendo tanta Studiorum incrementa sensit, ut ipse mox Philosophos legere Scholasticos cum fructu, aliisq; illos explicare potuerit. In thetica verò Theologia, ne fraudibus forte Syncretisticis circumveniretur, manuscripta non tantum doctissimi Parentis, sed & summi quondam Theologi B. D. Cœlestini Myslentæ, Proavi sui materni, suavissimè evolvis revolvitq;, cum Orthodoxo satis Doctore in patria tunc Academia (ceu nobis retulerunt) non gauderet, usq; dum Apostata D. Joh. Phil. Pfeiffero, per Syncretistica principia plenis quoq; passibus ad castra Pontificiorum transfugienti, orthodoxus Vir maximèq; Rev. Dn. D. Gotofr. Wegnerus, jam ibid. S. Tb. Prof. Ord. celeberr. & secundarius Concionator aulicus succederet, eiq; mox adjungeretur Vir Excellentissimus Dn. Paulus Pomian Pesarovius, Phil. & S. Tb. D. hujusq; Prof. celeberrimus, Pastor item Cathedralis, Consistoriiq; Sambiensis Assessor, uti & Schola Cathedralis Inspector gravissimus, Fautor singularis & Amicus fidelis, qui janè acerrimus orthodoxia assertor, à Syncretistis horumq; Fautoribus plura fuit passus, uti publicè constat & pluribus in programmata Disputationis ejus inauguralis A. 1694, me Decano ac Praside hic ventilata fuit laudatum. Ex Wegnerianis ergo lectioni-

lectionibus in orthodoxia Noster ita fuit confirmatus, scientia
 Theologicâ auctus, ut eodem Praeside Disputationem Exegeticam
 super Matthæi II. 9. seqq. publicè iurè fuerit ausus. Ex collegio
 autem Pesaroviano Disputatorio, super controversias potiores,
 tantos hausit fructus, ut sub ejusdem Dn. D. Pesarovii praesidio
 nonnullas Disputationes Theologicas examini submittere non
 dubitarit. Licet enim primam Disputationem Theologicam,
 quam subtilius praesidio contra memorati supra D. Christiani
 Helwichii librum, cui titulus: Manuductio Professorum
 Regiomontanorum ad Papalem Ecclesiam, pie doctèq;
 meditatus erat, & in qua praecipuis libris Ecclesiarum nostrarum
 Symbolicos samamq; Proavi supra laudati B. D. Myslentæ
 contra insultus Helwichianos defendit, abs nonnullis fuerit
 impedita, quò minus publicaretur; postea tamen, cum idem Hel-
 wichius alium ederet tractatum in quo variis quidem, sed stra-
 mineis planè rationib⁹, p^{se} Regiomontanis & praecipue quidem
 Studiosis esse autor voluit, ut per sua ducti vestigia ad Papatum
 transfugerent, eidem transfuga Helwichio Theologicam ratio-
 num ejus irrationalium discussionem opposuit, eamq; An.
 1699 a. 17. Dec. sub praesidio laudati sapè Dn. D. Pesarovii pu-
 blicè defendit. Nec premia laudabilibus ejus studii defuerunt: Si-
 quidem iisdem commota Facultas ap. Regiomontanos Philosophica,
 Eundem Decano Viro Amplissimo Dn. M. Laurentio Wegero, Hebr.
 Ling. Prof. publ. per programma & Ministrum Acad. ad petendos hono-
 res in Philosophia Doctores invitavit, eosq; praesidiis mox praestandis
 eidem superiori A. 1700. d. 15. Ap. conferre non dubitavit. Nec sim-
 lum huic Doctoris Philosophica sine re Noster esse voluit; sed eundem
 docendo alios statim ornavit, quando præviâ disputatione de Subditis ad
 religionem non cogendis, quam pro receptione sui ipse Praeses eodem
 A. d. 14. Jul. proposuit, in FCtem Philosophicam recepit, Collegia Phi-
 losophica Politicâ & consensu memorari sepius Dn. D. Pesarovii, i. s.
 Decani FCtis Theologica, Collegia Historica sacra aperuit, ex iisq; pu-
 blicitas etiam disputare decrevit: quo sine paratas jam sequentes habet
 Disputationes: nempe 1. de subditis ob religionem non pellendis, 2. de

diversis Religionibus in Remp. non intromittendis, 3. de indifferen-
tissimo Religionum ex Republ. proscribendo; item 4. de miraculis
Martyrum tempore sui martyrii 5. de variis veterum ceremoniis
in celebratione diei Dominicae, 6. de Cramate veterum, 7. de Cho-
repiscopis antiquæ Ecclesiæ &c. quibus tamen Disputationibus studii
magis Theol. quam Philosophici augmentum manifestavit, cum histori-
am Ecclesiasticam fore esse Theologici judicemus. Nec temerè talia secta-
tus studia fusi: siquidem se per vota Parentum Theologicis destinatum
studii sciebat. Unde & cum historiâ Ecclesiasticâ simul studia tam Con-
roversivica quàm Biblica & Symbolica conjunxit, omniâq; incredibili
ardore successus, felici tractavit; id quod Speciminibus quoq; non vulga-
ribus, tam in patria quàm apud nos editis, luculenter satis ostendit. In
patria enim superiori anno quindecim illa dilemmata, quæ Tyrnovi-
enses Jesuitæ pro Xenio novi anni 1699. in Hungaria Dominis Aca-
tholicis (uti nominare nos Evangelicos Papiste amant, rectius aca-
tholicorum nomine appellandi) affectuosissime (cui verba inscriptionis
habent) obtulerunt, solvenda assumpsit, & redditione promptiori repen-
dit; qualia sanè dilemmata jam pridem etiam circa A. 1685. à Jesuitis Hun-
garicis sub titulo: Zweistößiger Maurbrecher Lutherischen Irgeistes
proposita fuisse Oedenburgensibus Evangelicis rectè recorder: quippe
quæ mihi A. 1686. m. Martio, Vienna tunc Austria degenti ab Evangelicis
quibusdam Primoribus svere oblata & non tantum ibidem rogatu offer-
rentium abs me refutata, sub titulo: Dreystößiger Stürmer des Jesui-
tischen in 12. dilemmatischen listigen Fragen abgefasseten und den Evan-
gelistischen Kirchen zur Verführung übergebenen! so genannten zweystößigen
Maurbrechers! sed hic etiam typis exprimi cepta. Cumq; Candida-
tus noster, faventibus Patronis illustribus, Theologiam in Patria docere
studiorum fiducia fretus intendat, & hoc sine apud externos quoq; docu-
menta profectuum Theologicorum edere gradumq; in Theologia apud
Nos præprimis petere, per vestigia Doctoris sui, suprâ celebrati Dn.
Pesarovii, apud nos quoque me Decano ac Distributore Doctorali Diade-
mate redimiti, non temerè ductus decreverit, hinc superioris anni die
27. Sept. ex consilio suorum Regiomonto abiit, & comite charissimo Fra-
tre suo, Dn. Christiano Gotofr. Gœrizio, Juris Stud. florentissimo, iter
faciens per Dantiscum, Stargardiam, Sedinum, Anelamum & Gryphis-
waldiam (ubi per aliquot septimanas commoratus, Dominorum Theol.
D. Rangonis, jam beati, & D. Henningii favores fuit expertus) Mense
Decembri

Decembri nostram ingressus Academiam, non tantum benevolo flatu
convictorio maxime Reverendi Collegae nostri, Dn. D. Joh. Nic. Qvi-
storpii, S. Th. Prof. famigeratissimi, & ad D. Nicol. Pastoris, itemq; Re-
Ministerij Direct. meritissimi, nec non Academia tunc Rectoris Magnifici,
exceptus est, sub cuius etiam presidio theses quasdam selectas, de modo,
quo lex conversionem ingreditur, de circumgestatione & adoratio-
ne panis benedicti &c. a se ipso deductas, d. 26. Febr. anni currentis
publicitus ventilandas proposuit, sed & favorem reliquorum Dnn. Col-
legarum, inprimis Excellentissimi Dn. D. Joh. Fechtii, S. Theol. Prof.
celeberrimi Consistoriijq; Ducalis Mekelb. Assessoris simulq; Districtus
Rosloch. Superindend. fuit expertus, quippe quo preside etiam sub
initium Mensis Aprilis Disputationem Theol. de imperfecta via per-
fectione, a se conscriptam, & Pelagianis, Pontificiis, Weigelianis, Syn-
cretistis, Böhmiis & Quietistis spe. ratim oppositam, publico examini
submitit, inq; speciminibus satis masculè hic defensis (ut nihil jam
de Sciagraphia ejus nuper apud nos edita dicam, qua Syllabum con-
tinet repositionum rerumq; pertractandarum in proditura consutati-
one Dissertationis supra dicti Christiani Helwichii, Med. D. personatè
ad Papam transfuga, quam supra laudate Discussioni rationum ir-
rationalium Helwichianarum, à nostro Candidato edita, Helwi-
chius non ita pridem opposuit) eruditionem Theologicam & promtitudi-
nem Disputatoriam R. Facultati nostrae omnibusq; virtutum & eruditio-
nis aestimatoribus magnopere probavit sibiq; sic aditum simul ad majora
paravit. Cum enim ipse, urgentibus suis tam propinquis quam Pa-
tronis, circa finem dicti jam Mensis nomen nobis suum, literis ad ECcem
nostram pro more directis, reverenter esset professus, non erat cur in
numeram Theologiae Candidatorum recipi cupientem frustra esse pate-
remur. Si quidem & sequente septimo Junii die ad examina admissus,
tam in priori, pro primo gradu, quem Baccalaureatum vocant, horis
matutinis sex libris symbolicis horumq; historis & controversiis cura-
tius instituto, quam in posteriori pro Doctoratu eodem die horis pom-
ex universis Scripturarum S. libris omnibusq; historiae Ecclesiasticae se-
culis rigorosè continuato, non modò egregium planè in rebus Theologi-
cis judicium & orthodoxiam nobis suam, sed & magnam omnino tam
librorum Symbolicorum & controversiarum Theologicarum, precipuè
Anti-Syncretisticarum, quam Scripturarum S. & historiarum simul
Ecclesi-

Ecclesiasticarum cognitionem abundè probavit. Unde non potuimus, quin eidem non tantùm egregio examini testimonio & commendatione debita, illustribus Patronis, Præsidiibus Patriæ generosissimis exhibendâ subveniremus, dignissimamq; Professione Theolog (quam in patria ambic & aq; quam nuperrimè à Regimine Regio Regiomontano jam nominatus est) judicaremus: sed & potestatem simul Disputationem suam Inauguralem pro impetrando in Theologia Doctoratu, conscribendi publicè proponendi, libenter meritoq; faceremus; nulli dubitantes, quin laudata (suprà virtutis & eruditionis paternæ atq; avitæ amulus, non tantùm magnos in Theologia profectus, toti quoq; Universitati illustrissimè sit probaturus, ejusq; applausu, letèq; adeo riteq; gradum proximè summum reportaturus, sed & orthodoxia assertor magnus sit futurus.

Ad illam ergo Disputat. ejus inauguralem proximè instanti XIII. Septemb. is die. in Auditorio Majori, Majorum more, horis ante & pom. D. V. ventilandam, **MAGNIFICUM DN. RECTOREM**, cæterosq; Universitatis pariter ac Urbis Primores fulgidissimos, Omnesq; O. O. Cives Academicos longè Spectatissimos, aliosq; literarum saerarum Fautores honoratissimos, officiosissimè simulac humanissimè non tantum meo sed & Collegii venerabilis Theologici nomine invito, atque ut suâ illummet actum præsentia conspectiorem & frequentiozem reddere non graventur rogatos volo, nihil in votis habens magis, quam ut multæ nobis occasiones offerantur, hanc benevolentiam nobis & Rev. Dn. Candidato præstandam de omnibus singulisq; merendi, quos interea divinæ commendamus tutelæ, tandemq; felices actui jam indicto successus comprecamur.

**P. P. Rostochii Sub Sigillo FCtis nostræ
Dominica XV. & XVI. post Trin.
A. M. DCCCI.**

•(O)•

Christophori Schröderi, ibidem quondam Diaconi ad adem
 primariam Parochialem dignissimi & virtuosissima Reginae à
 Wegnerin filiam. Ab his Parentibus adeo piis & claris d.
 12. Nov. 1771. nov. An- 1677. (qui propter incendium Rostock
 ense nobis hic perquam funestus fuit) in lucem editus p
 voto à prima statim infantia studiis liberalibus, præcipue
 logicis, est consecratus. Cumq; hoc sine ipsum Parentes n
 privata informationi Pl. Rev. Dn. Joh. Jacobi Gräy
 Ecclesia polonica apud Regiomontanos Diaconi, & D
 bergii, jam Ecclesia Silberbachiensis Prussiae Paß
 spectioni præcellentis & Clarissimi Dn. M. Jo
 schii, Scholæ Cathedr. Regiomontanae Rect
 dissent, sub iisdem in humanioribus egregi
 maturo luctuosog, laudati Parentis obitu
 retur, provida tamen pie Matris & C
 M. Cœlestini Georgii Neufeldii.
 Regiomontanos Pastoris laudatissim
 ac privata Preceptorum informa
 rum, qua dignum facerent ip
 demicis applicaretur. Ade
 secunda prælaudata Matris
 Dn. M. Balthasaris Boy
 ibat: Sigvidem & bu
 Hebraicis, sibi no
 1694. m. Sept. et
 sub Rectore suo
 tistarum fray
 sunt decepti
 tum effus
 monio
 foru
 gio

... præ
 ... affige
 ... Rev. Dn.
 ... erg. apud
 ... publica simul
 ... intermisi re
 ... studis quoq; Aca
 ... tum concurrerant
 ... ceinceps in thalamum
 ... Prof. jam beati tr ans
 ... aduionem, præsertim in
 ... se agnoscit. Anno igitur G.
 ... apitibus orthodoxæ religionis
 ... s fecisset progressus, ut Syncre
 ... nulli tunc temporis Regiomonti
 ... deoq; occasionem apostasie ad Papa
 ... simul prædicti Dn. Rectoris sui testi
 ... in numerum Academia Patrie Studio.
 ... temporis, Viro Excellentiss. Dn. M. Geor
 ... Pract. Prof. meritissimo, à nobis hic Ro
 ... stochis

